

C A P I T. X I V.

*Piscatoribus utriusque Principis subditis tam per Mare quam terra liberum commeatum fore.*

Item, Conventum est ut supra, Quod Piscatores utriusque partis partium prædictarum cuiuscunque Conditionis existant, poterunt ubique ire, navigare, per mare secure piscari, absque aliquo impedimento, licentia, seu salvo conductu. Et si contingat aliquos ex Piscatoribus unius partis, per fortunam, tempestatem maris, vim hostium aut alio modo compelli intrare in aliquem portum vel districtum alterius partis; Idem pacifice & amicabiliter recipientur & tractabuntur, solvendo in locis ubi applicabunt jura & tenetoria prædicta, & ab aliis portibus & locis poterunt libere recedere, & redire cum eorum navibus & bonis, sine impedimento vel contradictione quacunque: Dummodo tamen per ipsos Piscatores non committatur fraus neque dolus, seu per eos aliis damnum minime fiat.

C A P I T. X V.

*Piratae non recipiendi.*

Item, Conventum est ut supra: Quod in